

## Die Urkunden Karls des Großen, 240a

In nomine sancte et indi[vidue] trinitatis. Carolus divina miseracione or[dinan]te rex. Cum domini nostri Iesu Christi virtute favente bellorum vietoriam nuper potiti fuerimus, si graciaram in immensum actione in ipso et non in nobis gloriamur et pacem in presentiarum et regni prosperitatem, in futuro autem pro meritis nos donari superne mercedis perpetuitate non diffidimus. Quapropter notum sit omnibus fidelibus in Christo, quod Saxones, qui hactenus deo et nobis ob sue pertinaciam perfidie semper cervice indomabili et rebelles obsecundare detrectarunt, modo tandem aliquando virtute Christi propiciante bellorum instancia vicimus et ad baptismi graciaram divina miseracione perduximus et gentes, que dominum glorie non noverant, et regna, que nomen domini non invocaverant, in lege domini meditari die ac nocte adiudicavimus et qui huc usque iugum Christi ferre minime contendebant, domino nostro Iesu Christo et sacerdotibus eius omnium iumentorum suorum et fructuum terre et omnis agriculture decimas et nutriture simul in unum divites et pauperes secundum canonicam assertionem et legalem caucionem constricti de cetero persolvant. Terram autem eorum secundum antiquum Romanorum morem in provinciam redigentes et in epischopatus certo termino distribuentes quandam aquilonarem illius partem domino nostro Iesu Christo et sanctissime eius genitrici devotissime obtulimus et in loco Fardium vocato super Aleram fluvium in pago qui dicitur Sturmi aecclesiam et cathedram episcopalem statuimus et Mogunciensis aecclesiae archiepiscopatu interventu Lullonis, illius metropolis aecclesiae episcopi, eam subiecimus. Insuper etiam ad prefate structuram aecclesiae in memorato pago CC mansos et quicquid ad ipsos mansos iure ac legitime pertinere videtur, cum domibus et edificiis mancipiis campis pratis silvis cultis et incultis aquis aquarumve decursibus viis et inviis exitibus et regressibus obtulimus et tocius huius diocesis incolas, divites ac pauperes, decimas suas eidem aecclesiae suoque dispensatori persolvere nostre regie maiestatis precepto firmiter iubemus et iubendo precipimus et legali sanctione confirmamus. Statuimus etiam, ut quascumque possessiones et quecumque bona eadem aecclesia in futurum concessione pontificum, largicione regum vel principum, oblacione fidelium, liberorum et servorum, seu aliis modis deo propicio poterit adipisci, firma sit et illibata permaneat. Preterea libertates et immunitates eidem aecclesiae concedimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam aecclesiam temere perturbare, possessiones eius auferre, ablatas retinere, minuere et aliquibus vexacionibus fatigare, sed omnia ad integritatem conserventur. Ut autem hec confirmacionis sententia oblacionisque donacio rata et inconvulsa et omni evo intransibilis permaneat, ex precepto summi pontificis et universalis pape Adriani nec non Mogunciensis archiepiscopi Lullonis et omnium qui inibi aderant sanctorum pontificum et catholicorum sacerdotum et Alcuini insignis predicatoris racionis consilio supra memoratam sancte dei genitricis aecclesiam cum omnibus appendiciis et donativis Suitberto sancte conversacionis viro et immortalis memoriae coram deo et apud homines commisimus, quem quidem in agro dei laborantem primum eidem aecclesiae bonum militem Iesu Christi prefecimus, ut populo adhuc rudi verbi dei semina messem deinceps latura secundum dispensatam sibi sapientiam tamquam fidelis servus et prudens in domo dei administraret et canonica ordinacione et competenti et aecclesiastica institucionem aecclesiam sibi delegatam tam novellam plantaret atque rigaret, donec oracionibus servorum suorum fidelium interpellatus omnipotens deus incrementum daret. Verumtamen quia casus preteritorum prescios et cantos nos reddunt futurorum, ne quis sibi aliquam in eadem diocesi avertendo regulam ascribat usurpative potestatem, certo eam limite fecimus terminari. Terminos autem eius

firmos, inconvulsos et per omne seculum inconvertibiles apostolica auctoritate et nostre regiae maiestatis precepto circumscribi precepimus, id est Wirraham fluvium, Faristinam, Bicinam usque in Wiemenam; a Wiemena in paludem que dicitur Caldenbach, deinde usque quo perveniatur ad Hostam; ab Osta Uternam, Biuernam, Wissenbroc, Ascbroc, Chissenmor, Quistinam, Motam paludem quae dicitur Sigefridesmor, Mullenbach iterumque Ostam, Sneidbach, Wimarcam, Hasulam, Steinbach, Liam fluvium, qui absorbetur ab Albia fluvio; dehinc trans Albiam, ubi Bilena mergitur in Albiam, dehinc in ortum Bilene, inde ubi Trauena absorbetur a mari, deinde usque quo perveniatur, ubi Pene fluvius currit in mare barbarum; inde in ortum eiusdem fluminis, hinc in Eldam, dehinc in Albiam, inde in rivum Alend, inde in rivum Bese, inde in Rodouue usque in paludem que dicitur Rokesford, inde in Horam fluvium, Callenuorde, inde in ortum Hore, hinc in ortum Hisne, hinc in rivum Scarbach, hinc in ortum Geltbach et ipsum rivum in decensu in Ursenam et in ascensu Ursene in Wizenam; hinc in ortum eiusdem fluminis, hinc in paludem que dicitur Snederebroch, hinc in Lernam et per mediam paludem quae dicitur Camperebroch et

sic trans Aleram in Wirraham. Et ut hec auctoritas huius donacionis et circumscriptionis nostre in dei nomine firmiorem et plenioram obtineat vi[gor]em et nostris et futuris temporibus a fidelibus Christi verius credatur et diligentius observetur, manu propria subscripsimus et sigilli nostri impressione assignari

iussimus.

Signum domini (M.) Caroli regis invictissimi.

Lullo archiepiscopus Mogunciensis recognovi. Hildebaldus archiepiscopus Coloniensis et sacri palatii capellanus recognovi. Amalharius Treuerensis archiepiscopus recognovi. (SI. D.)

Data III kalendas iulii anno dominicae incarnationis DCCLXXXVI, indictione XII, anno autem regni domini Caroli XVIII; actum Moguncie; feliciter amen.